

DE
I V R E S T A N D I
IN COMITIIS PROVINCIALIBVS

—
COMENTATIO

Q V A M

ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS
AVCTORITATE

PRAESIDE

IOANNE CHRISTIANO FRANCKE

IVRIS VTRIVSQUE DOCTORE, IUDICII PROVINCIALIS IN
MARCHIONATV LVSATIAE INFERIORIS ET ORDINIS
IVRECONSVLTORVM IN ACADEMIA VITEBER-
GENSI ASSESSORE

A. D. I. OCTOBRIS AN. CIO IO C CL XXXVII

H. L. Q. C.

D E F E N D E T

AVCTOR

CAROLVS CHRISTIANVS KOHLSCHÜTTER

D R E S D E N S I S.

VITEBERGAE

LITERIS CAROLI CHRIST. DÜRRIL.

I A R E S T A N D I
IN COMITIS PRONINCIVIAE

COMMUNITATIS

DAV

ELATRIS IARIS CONSULTORIUM 32 DINI

A V O T O R I T A T E

PRÆSID E

IOANNES CHRISTIANUS FRANCUS

HIERONIMVS AVOLAS AV DOCTORIA IACOBUS TRICINCIUS IN

MICHIDIOVA LAZARUS INTENDENS ET OFICINIS

EXCEGONS AYDORIUM IN AYDORIUM ETIENNER

ET

ANNO MDCCLXXII

MLA C

T E S I S A D E

Z O T O U A

C A S O R I S Q U I T A N T I S M O I S C H U T T E R

D E T S D E N S I Z


V I T E R B O V

E L A T R I S C R O T I C H I C I A N U M B R E

V I R O
SVMMOPERE VENERANDO
P A T R I
IMMORTALITER DE ME MERITO
FRIDERICO ERNESTO
M Y L I O

IN REBUS AD RATES ELECTORALES PER-
TINENTIBVS COMMISSARIO

S A C R V M.



— — A SVPERIS HIC MIHI PRIMVS ERIT!

OVIDIVS.

V I R O
S A M P T U R E V A N N I A C O

T A T T I

I M M O R T A L I E R D E M E M I R I O

F R I D E R I C O E R N E S T O
M Y L I O

I N R A V A S D D R A V A S E L L O G O R V A L L E S H E R -

T I N E N T I P A S C O M M I S S A R I O

S A O R A M

— — — A S A D E R I S H E C M I H I T R I M A S E S I I I

O A D I A Z E



Prologus.

igitanti mihi saepenumero ac memoria vetera repetenti nihil solet ad voluptatis sensum efficacius videiri, quam variae, quae in ciuitatibus acciderunt, mutationes, quibus tandem effectum, vt hoc, quo vtuntur, res publicae conspiciantur statu. Et in annalibus quidem Germaniae nihil occurrere existimauerim, quod cognitu iucundius sit, quam nobilium mediae aetatis historia. Si enim magnitudo rerum gestarum delectaris, si fortia facta, si noua et inaudita desideras, illa consideranda sunt tempora, quibus Germania dissipationibus nobilium plena nullam aliam fere laudem, quam bellicam, tulit: sin molliora cupis, sin eas virtutes pro-



bas, quae minorem speciem habent, in vias equitum illorum Germaniae intuendum est, qui omnis humanitatis sensum sub armorum etiam strepitu conseruari posse praeclaro exemplo docuere: si denique locum quaeris vtilitatis et fructuum ad posteros plenissimum, in ea aetate subsistas, qua, vt hoc nostrae reipublicae statu vteremur, nobilium maxime opera est effectum. Sed quo magis in aperto est positum, summa quaeque nobilitati Germaniae veteri deberi, eo minus posteritati eius inuidere debemus, si p[re]e aliis ciuibus p[re]cipuis quibusdam iuribus gaudet, quae ex maiorum hereditate quasi ad eam peruenere. Societas etenim ciuiles, quae, sive occasionem, quam tenuerunt, reputes, sive multiplex, quod ineuntes secuti sunt, respicias consilium, variam omnino noctae sunt originem,^{a)} pro ea, qua gaudent, inde, non admittunt, vt ciues aequali vti possint conditione: quod maxime ea regiminis forma declarat, quavus summam imperit tenet, quippe de qua MONTESQUE-RIVS^{b)} verissime dixit, ne consistere quidem veri nominis Monarchiam posse, nisi medio inter principem ac reliquum populum loco aliqui constituantur. Quare consentaneum est, p[re]cipuum quandam ordinem, qui, vt hoc obiter moneam, ex genere ac possessionibus commodissime definiri videtur, in nostris ciuitatibus dari, cuius splendori ac dignitati singularibus quibusdam concedendis publice consulatur. Quae inter in patria nostra hoc eminet, quod in comitiis prouincialibus ex omnibus praediorum equestrium possessoribus non nisi ii conueniunt,

ueniunt, qui legitimis imaginibus gaudent. Sed cum alii hanc potestatem soli vindicent personae^{c)}, alii autem ius standi in comitiis praediis inhaerere, ideoque iis in regionibus, quibus sanctione expressa, vel moribus diuturnis aliud non est introducendum, tanquam rei iunctum in omnes eius transire possessores contendant,^{d)} causas conqueram legitimas, e quibus veram eius euincam indolem, et cum scribendi mihi data sit occasio, paulo conquistius ea de re dicam.

- a) Cicero de officiis I. II. cap. 6. Adam Ferguson's Versuch über die Geschichte der bürgerlichen Gesellschaft. Leipzig, 1768.
- b) ita enim loquitur: *la noblesse entre en quelque façon dans l'essence de la Monarchie, dont la maxime fondamentale est: point de Monarque, point de noblesse; point de Noblesse, point de Monarque.* v. l'Esprit des loix, I. II. cap. 4. in quo consentientem habet Russicum, du contrat social. liv. 3. ch. 6.
- c) Cramer de nobilitate, aucta, cap. I. §. 5. n. 1. et cap. 4. §. 1. Matth. a Schlebenburg, de privilegiis nobilium mediatorum in Germania.
- d) Heyme, Vir meritorius in dist. praef. Segero habita, de coniunctione loci et suffragii in comitiis provincialibus cum dominio praediorum nobilium. Lipsi, 1769.

De comitiorum notione et divisione.

Neque tamen praeiens argumentum satis intelligi posse videtur, nisi comitiorum subiectiam notionem, cum omnis, quae a ratione suscipitur de aliqua re disputatio, debeat a definitione proficiisci. Sub comitiorum^{e)} autem nomine mihi veniunt conuentus, qui ciuilibus in societatibus negotiorum publico-



rum causa modo legitimo ab iis, quorum interest, aguntur¹⁾. Prout autem haec negotia publica vel totam vniuersitatem tangunt, vel tantum eius partem, vel statu tempore, vel repente-
no aliquo casu, quo singulorum haberi nequit copia, celebran-
tur, in vniuersalia, quibus totus populus vere aut per eos coit,
in quos huius rei causa iura sua transfluit, et quos Ordines im-
perii²⁾ dicunt, et particularia diuiduntur, quibus ea tantum
populi vel Ordinum pars, cuius res agitur, quaeue ex circum-
stantia temporis praesenti seruire potest rei, congregatur. Et
haec quidem comitia, quantos ciuitati afferant fructus, nem-
inem puto fore, qui in dubium vocet. Ut pro instituti no-
stri ratione in ea regiminis forma maneamus, qua sum-
ma rei vni committitur, (in aliis enim res statim est
plana) uti haec multis magnisque commodis reliquis omni-
bus praefstat, sic a dannis atque malis, quae ex eiusdem na-
tura timenda forent, facilime defendetur, si ciuium ali-
quod in administranda republica est momentum. Praeterea
verissimum est, quod ipsum Tiberium, quanquam simulata vi-
debatur oratio, modestiae tamen causa apud **TACITVM**³⁾ fate-
ri oportebat: arduum ac subiectum esse fortunae cuncta regendi onus,
non ad vnum esse omnia deferenda, plures facilis sociatis laboribus mu-
nia reipublicae executuros. Quantum vero auctoritati principis,
quantum caritati eius apud populum his consultationibus acce-
dat, quantopere patriae amorem in ciuibus alant hae atque in-
cendant, quam arte omnia in republica cohaerere, et ad vnum
finem,

finem; ciuitatis salutem, iunctis viribus faciant conspirare, quis tandem est, qui non videat? Praeterea, quo omnia iusto per agantur ordine, necesse est, vt de loco et tempore, quo conuentus haberi debeant, de sententiis rogandis et ferendis, nec non de consultis condendis^{c)} modus statuatur.

- a) quae a coeundo dicuntur, et secundum A. Gellium, I. XV. cap. 27. proprie a conciliis differunt ita, vt in illis vniuersus populus, in his autem eius saltem pars conueniat, cfr. Rosinus in antiquit. rom. I. VI, c. 1. In Saxonia vocantur *Landtäge und Ausschusstäge*.
- b) ita fere Wolff in institut. iur. nat. et gent. P. III. sect. 2. cap. 2. §. 1000.
- c) qui seilicet de regiminis partibus pro varia societatum ciuilium conditione diverso participant modo, conf. Grotius in Iure bell. ac pac. I. I. c. 3. §. 10. no. 4. et Achenwall, in Iure Nat. I. III. f. 3. tit. 1. §. 153.
- d) Annal. I. I. c. 11.
- e) Francisc. Patronus, de iure suffragiorum, Pavia, 1782. qui requisita, quibus, vt decretum interuenientibus suffragiis iure constituantur, opus est, sect. IVta sifit; quo praeципue spectat, pluralitate votorum pacis fundamentalibus derogari non posse.

§. 2.

Ius standi in comitiis ciuibis singulis sine respectu ad possessiones competere,

a) afferitur ex indole rerum publicarum,

Quaerentibus vero nobis, quinam sint ii, qui de negotiis publicis in his conuentibus debeant consultare, ipsa societatum ciuilium ratio statim docet, ius comitorum ad omnes ac singulos ciues pertinere. Etenim totius reipublicae felicitas atque firmamentum in eo cernitur, vt ciues incolumitate atque

secu-



securitate, quam potest fieri, maxima frumentis vita in quiete et
 beate transfigantur. Hinc opus est legibus^{a)} atque institutis^{b)}, qui
 bus pietas in Deum, reverentia aduersus superiores atque paren-
 tes, caritas patriae, bene de aliis merendi studium, bonarum li-
 terarum amor, vitae ac bonorum sine offensione conseruatio et
 custodia, valetudinis, quae maxime sui corporis notitia, conti-
 nentia in vietu atque cultu, et postremo arte eorum, ad quorum
 scientiam haec pertinent, sustentatur, cura, officinarum cultura
 atque incrementum, mercatura commerçiorumque amplitu-
 do, miserorum et egenorum nutricatio, publica mundities, ali-
 mentorum nec non eorum, quae ad cultum et ornatum perti-
 nent, copia atque affluentia, rei militaris disciplina, iusta tri-
 butorum moderatio eorumque quam minime grauis collectio,
 iurium aqua descriptio, celeris et fida legum executio, cauta
 ac religiosa munerum distributio eorundemque diligens admi-
 nistratio, publica libertas, et ut vno verbo complectar omnia,
 communis societatis finis quaeratur, promoueatur, firmetur.
 Iam vero tales sanctiones atque praecepta ad publica nego-
 tia spectant, quorum cum unusquisque ciuium communis
 commodi causa curam gerere debeat, facile patet, ius co-
 mitiorum, quibus haec constituuntur, ciuibus singulis vi eius
 qualitatis competere, qua sunt membra societatis cuiusdem ci-
 uilis, ideoque omnium iurium eius participes. ^{c)}

^{a)} de quarum indole egregia quedam notauit Schlewein in den Rechten der
cuius Menschheit, §. 271. sequit.

^{b)} Huc

b) Huc spectant, quae Moses Mendelssohn refert in suo *Jerusalem*, cum ait: unter allen Umständen und Bedingungen aber halte ich es für einen untrüglichen Maßstab von der Güte der Regierungsform, je mehr in derselben durch Sitten und Gebräuche gewirkt, und also durch die Erziehung selbst regiert wird; mit andern Worten: je mehr dem Bürger Anlaß gegeben wird, anschauend zu erkennen, daß er auf einige seiner Rechte nur zum allgemeinen Besten Verzicht zu thun, von seinem Eigennutzen nur zum Be- huf des Wohlwollens aufzuopfern hat, und also von der einen Seite durch Ausübung des Wohlwollens eben so viel gewinnt, als er durch die Aufopferung verliert; ja, daß er durch die Aufopferung selbst noch an innerer Glückseligkeit wuchere, indem diese das Verdienst und die Würde der wohlthätigen Handlung, und also die wahre Vollkommenheit des Wohlwol- tenden vermehrt.

c) Daries in institut, iurisprud. universal. P. spec. sect. V. §. 750, cor. 2.

§. 3.

b) Firmatur consuetudinibus gentium, et quidem

α) Romanorum.

Inter praecipua sane romanae ciuitatis capita ius suffragiorum ^{a)} habebatur, ita, ut Cicero vel ideo etiam, quo huius iuris possessionem retinerent, serio ciuibus legem agrariam dis- suaderet. ^{b)} Et comitia quidem curiata Romulus, centuriata autem Seruius Tullius instituit, quibus prioribus in curias, po- sterioribus autem in centurias descripti ciues gaudebant, qui optima lege tales erant ^{c)}. Tributa a Siccino, Tribuno plebis, A. Sempronio et M. Minucio Coss. ad iudicium de Cn. Martio Coriolano ferendum primum fuerunt habita ^{d)}, iisque populus per tribus suffragia tulit. Interea ius suffragiorum iam immi-

B

nuit



nuit C. Caesar^a); ipsa autem a populo ad patres transtulit comitia Sex. Pompeio et Sex. Apuleio Coss. Tiberius^f), et licet reuocato more comitiorum C. Caligula populo reddebat suffragia^g), ea tamen mox iterum ademit^h).

- a) de quo conf. Car. Sigonium de antiquo iure populi Romani, I. I. cap. 17.*
- b) orat. Ilida de lege agraria, cap. 27. Retinet, inquit, istam possessionem gratiae, libertatis, SVFRAGIORVM, dignitatis, urbis, fori, ludorum, festorum dierum, ceterorum omnium commodorum.*
- c) Nicol. Gruchius de comit, rom. I. I c. 3, I. II. c. 3. I. III. c. 3.*
- d) Dionys. Halicarnass. I. VII. cap. 54.*
- e) Suetonius in vita C. Iulii Caesaris, cap. 41.*
- f) Tacitus, Annal. I. I. cap. 15.*
- g) Suetonius in vit. Caligulae, c. 16.*
- h) Dio Cassius, I. LIX. pag. 742 et 753.*

§. 4.

B) Germanorum.

Eandem comitiorum rationem apud Germanos obtinuisse videmus. Scilicet antiquis temporibus, cum nondum in unam rempublicam coaluere, sed singulae gentes separatas habuere rationes,^a) conuentibus ipsarum, quos, nisi quid fortuitum ac subitum inciderat, certis egerunt diebus^b), quisque nobilis et ingenuus^c) ex iure intuitu personae sibi competente interesse potuit.^d) Ita quidem apud Saxones in usu fuit, quippe qui semel in anno in media Saxonia iuxta fluuium Weseram ad locum, qui dictus est Marcklo comitia coegerunt generalia^e),
vique

vsque dum Carolus M. iis his conuentibus interdixit. ^{f)} De Francis quoque constat, in comitiis ipsorum aditum patuisse omnibus, siue maiores ^{g)}, siue minores fuerint ^{h)}, et apud Friesos comitiis magistratus, nobiles, antistites, sacerdotes, electi e plebe ex omni agro interfuerent, qui a Flevo in Visurgin patuit ⁱ⁾.

- a)* tot enim fuerunt respublicae, quot populi, et quot populi, tot conuentus. Conring, de republ. imper. germ. §. 6. Ita etiam Tacitus: *nihil aduersus validissimas gentes illas pro nobis utilius, quam quod in commune non consulant; rarus duabus tribusque ciuitatibus ad propulsandum commune periculum conuentus; hinc dum singuli pugnant, uniuersi vincuntur.*
- b)* in campus apertis, cfr. I. G. Keyser in antiquit. septentrional. er celt. fest. I. cap. 5. §. 1. Recentiori aerate morem comitia in campus habendi non plane desisse docuit Weck in der Beschreibung von Dresden, p. IV. tit. VI. qui conuentum sub dio sec. XII. in Misnia Colmae hoc modo celebratum sequentibus memorat: *es ist aber das Culm und Culmitz nichts anders, als das mittler im Lande Meissen gelegene Culm bey Oschatz gewesen, allda man aufm Berge, da man durchs ganze Land sehen kann, die Landtage nach alter Observanz unter freiem Himmel gehalten.*
- c)* ex his enim Germanorum respublica maxime constabat, (Tacitus de morib. Germ. cap. 25.) libertutis vero ac serui, cum eo tempore iure militiae destituerentur, (Güntherus in Ligurino, v. 153.) facile patet, eos conuentibus, qui ab armatis celebrabantur, adistere non posuisse. Tacitus, l. c. cap. 11. Burch. Goth. Struv. in corpore iur. publ. cap. 23. §. 2. Sorber, de comitiis veterum, P. II. p. 1. §. 58 et 83.
- d)* quare ill. Geislerus in comment. de Landsassatu §. 39. ius comitorum antiquitus non tam a possessione fundorum, quam ab ingenuitate ductum fuisset, hanc autem sine praediliis esse non posuisse, valde ambiguum esse censer, et contra Illustris Comitem de Busto, dans les Origines, liv. 3. ch. 10. qu'il n'y avoit point de liberté entière sans propriété, locum assert ex Capitulari Caroli M. de ao. 807. cap. 2, vbi commemoaretur *liber, qui sic pauper insensus*



tus fuerit, qui nec mancipia, nec propriam possessionem terrarum habeat.
 Veruntamen si non impium est, ab eo viro dissentire, e cuius scholis nunquam sine maximo fructu discessi, quaedam reperiisse mihi video, quibus ille Capitularium locus et alia huic similia cum Buati sententia concilientur. Consuetum enim erat, hominibus illius temporis in remedium animae suae, ut putabant, res suas ac bona omnia ecclesiis consecrare, a quibus eadem sub censu certo ad necessitates vitae vtendas recipiebant. Docet hoc lex Alamannorum, cap. 2, vbi ita statuitur: *si quis liber res suas ad ecclesiam dederit, — et posthac a pastore ecclesiae per beneficium suscepit ad vitam necessitatem conquirendam diebus vitae suae, quod spondit, persoluat ad ecclesiam censem de illa terra.* Eodem modo regi aut aliis libero res suas tradidere, quod apparet ex lege Baiuvariorum, tit. 6, apud Baluzium, P. I. p. 113, et ex Capitul. IV. Ludou. Pii de ao. 819. c. 4. quid? quod saepe etiam villicorum manus in potentiorum terris pauperes liberi suscepisse videntur. v. Struben, de iure villicor. c. 1. §. 5. Tales vero retinueron quidem liberosrum hominum nomen, et cum multi, vti Capitula Pipini de ao. 793, c. 23. apud Baluzium, p. 547. loquuntur, *non propter paupertatem, sed ad vitandam reipublicae utilitatem fraudulentem ac dolose res suas ecclesiis delegarent, easque denuo sub censiū vtendas recipierint*, iisdem capitulis placuit, ut quo usque ipsas res possident, hostem et reliquas functiones publicas faciant, — *ut status et utilitas regni huiusmodi ad inuentoribus non infirmetur:* idque ipsum illo Capitulari Caroli M. de ao. 807. pauperibus erat impositum, quo, *vt in pretio valente quinque solidos quinque sextum praeparent, sancitum est.* In aliis vero omnibus inferiores fuisse videntur iis liberis hominibus, qui prædia propria tenebant, adeoque nec *ad testimonium propter res alterius recipiebantur*, teste Capitulari Ludou. Pii de ao. 819. tit. 3. cap. 6. vbi *de liberis hominibus, qui proprium non habent, sed in terra dominica resident, sermo est, quod idem in libertinis obtinuisse docent Capitularia Caroli M. et Ludouici Pii*, apud Baluzium, l. VI. cap. 159. *ne testifificantur manuissi:* nec ad placita et malla admittebantur, vti verba declarant, quae in Capitul. Pipini de ao. 793, cap. 26. leguntur: *de his personis, qui suas res ideo in alienum delegant, ut ad placitum venire non cogantur;* ita vero nec ad generales totius populi conuentus accedere potuisse credibile est, cum solo nomine liberi essent, re libertinis aequalerentur.

e) Ro-

e) Roleimus in l. II. antiqu. Saxon. cap. 1. ita resert: *regem antiqui Saxones non habebant, sed per pagos Satrapas constitutos, morisque erat, ut semel in anno generale concilium agerent in media Saxonia iuxta fluvium Welse ram ad locum, qui dicitur Marchlo. Solebant ibi omnes in unum Satrapae conuenire; ex pagis quoque singulis duodecim electi nobiles, totidemque liberi, et totidem laici.* cfr. Meinders de iudicio centenar. vet. Germanor. c. 8. §. 3. et Nicol. Schoten in histor. Westphal. I. VIII. p. 495.

f) Capitul. 32. de partibus Saxonie. cfr. Meinders de statu religionis ac rei publ. sub Carolo M. pag 80. seq.

g) Schoepflin in Alsatia diplomat. T. I. p. 227.

h) Hincmar. epist. III. cap. 29. ait: *in quo placito generalitas vniuersorum maiorum tam clericorum quam laicorum conueniebat; seniores propter consilium ordinandum, minores propter idem consilium fuscipiendum, et interdum pariter tractandum, et non ex potestate, sed ex proprio mentis intellectu vel sententia confirmandum.* Annales Francorum ad an. 788. referunt: *in placito Trigelheimensi conueniunt pontifices, maiores et minores, sacerdotes, reguli, duces, comites, praefecti, ciues oppidanii.* In fine praefaciulae legi Baiuvariorum propositae apud Baluzium, pag. 25. reperiuntur haec verba: *hoc decretum est apud regem et principes eius et apud cunctum populum christianum, qui infra regnum Merwingorum confidunt.* Similia habet Witichinus apud Meibomium, T. I. scriptor. rerum Germanic. pag. 642 et 644. cfr. Harprecht de Harprechtstein de iure session. et praec. liber. et immediat. nobilit. prae ciuitat. imperial. cap. V. §. 5. Hertius in notit. regni franc. vet. cap. V. §. 4. Conring. diff. acad. de ducibus et comitibus Germaniae, Th. 32. Struben in d. Nebenstunden, T. II. Comm. XI. §. 6. Solos nobiles exclusi ingenuis in antiquis Francorum conuentibus admisso fuisse contendere quidem studet Kopp, de insigni differentia inter S. R. I. comites et nobiles immediatos, f. II. §. 2. Sed haec sententia solido destitutor fundamento, id quod vel ex solo Ermoldo Nigellio de rebus Ludo. pii apud Menckenium in script. rer. german. max. fazoniar. T. I. patet.

i) haec narrat Vbbo Emmius in histor. rerum frisicar. decad. II. l. 13.



§. 5.

Statibus provincialibus introductis ius comitiorum et suffragii reale esse coepit.

Ita igitur antiquo tempore et apud veteres populos quisque ciuium sententiam de republica libere proferebat, id quod praeter eos, quos adduximus, in ciuitatibus graecis etiam et apud alias multas gentes obtinuit. Nostra aetate in tanta regnorum amplitudine atque frequentia vix fieri posset, ut idem modus obseruaretur: quare necessitate aliqua est factum, ut singulorum ciuium vota in ciuitatibus obmutescerent, ac proceribus fere committeretur negotium totius populi personam in consultationibus publicis sustinendi. Eandem igitur rationem in iis Germaniae prouinciis obtinere, in quibus Ordines inueniuntur, eosque non suas tantum, sed alienas etiam partes in comitiis agere, et ipsa rei natura docet, et actis publicis potest illustrari.^{a)} Iis enim temporibus, quibus imperii germanici principes superioritatem naclii sunt territorialem, pax publica variis legibus praecipue sub Maximiliano I. sancita, et perpetuus miles ad exemplum Gallorum introductus est^{b)}, eam, qua conspicitur, formam Germania induit, et hac aetate etiam ius, quo in regiminis consilium Ordines adhibentur, intuitu certarum dignitatum munerumque, praediorum equestrium et ciuitatum prouincialium ita datum esse videtur^{c)}, vt non nisi iis, qui has spartas tenent, haec praedia vi dominii possident, et has ciuitates regunt, facultas

cultas in comitiis standi et suffragium ferendi exclusis reliquis
 ciuibus competit.⁴⁾ Quod quidem sit planius, si ipsorum co-
 mitiorum origines consideramus. De quibus cum magna sit
 opinionum discrepancia, proxime ad veritatem accedere eos pu-
 tauerim, qui ipsum rerum statum, qui seculo duodecimo et de-
 cimo tertio maxime in Germania erat, occasionem consulta-
 tionibus prouincialibus dedisse existimant.⁵⁾ Vti enim princi-
 pes potestatis augendae cupiditate ferebantur, vt vinculum, quo
 cum Imperatore cohaerent, relaxarent, sic in subditis eorum,
 nobilibus maxime, libertatis retinendae⁶⁾ et amplificandae stu-
 dium dominabatur. Tantum absuit, vt imperio metuque pos-
 sent coerceri, vt multi hostili, modo ipsos imperantes aggredie-
 rentur, omnis principum vis in ciuium beneuola erga ipsos vo-
 luntate ita erat posita, vt nihil fere sua sponte agere possent, de-
 mulcendi praeterea ac in ipsorum partes trahendi animi erant,
 ne noui imperii pertaesi veterem rerum statum reuocarent. Ita
 vero est factum, vt nihil fere alicuius momenti noui principes
 nostri in ciuitate agerent, cuius causa statuum prouincialium
 consensum non impetrassent^{8).} Inter hos igitur, vti Praelati
 ob magnam, quae eo tempore erat, Cleri auctoritatem, et bo-
 na, quae ecclesiae et aliae fundationes ecclesiasticae late possi-
 debant, et ciuitates ob ipsarum amplitudinem atque opes, ita
 praediorum equestrium domini, ob possessiones, quorum cau-
 sa ingens in republica momentum faciebant, de rebus commu-
 nibus in primis consulendi erant. Cui quidem sententiae meae

suffra-



suffragatur etiam illud, quod in quibusdam Germaniae prouinciis status prouinciales vel omnino non reperiuntur, vel in uno alteroue ordine deficiunt.⁴⁾ Scilicet huius rei variae quidem possunt esse causae; hanc tamen praecipuam puto, quod eo tempore, quo superioritas territorialis emergere coepit, nec praelaturaes, nec vrbes, nec praedia equestria in his ditionibus essent, quippe quae, quacunque patebant, proprietatis iure ad eum pertinerent, qui per temporis opportunitatem ad principis dignationem adspirabat.⁵⁾ Nemo vero non videt, nihilo fecius fieri potuisse, ut multi ingenuis natalibus conspicui vitam in iis degerent, qui adeo sententiam de republica dicere debuissent, si verum esset, quod dicunt, a personae conditione ius suffragii dependere. Neo iure contra nos afferri possunt ministeriales, qui forte ob muneris dignitatem locum in comitiis obtinuerint. Vti enim inter eruditos confectum est, nequaquam illos seruiliis conditionis fuisse, sed ab ingenuis, quid? quod nobilibus saepe ortos,⁶⁾ sic etiam feuda ipsis propter ministerium esse concessa, monumenta antiqua docent^{7).} Praediorum igitur causa locum in comitiis prouincialibus illi obtinuerunt; quin vero suffragio ipsorum per muneris, quod in aula principum administrabant, dignitatem magna acceperit vis, ideoque in consiliis de republica dandis ipsorum prae caeteris valuerit auctoritas, nos quidem in dubium nullo modo vocamus. Et antiquitus quidem status de omnibus fere rebus, quae ad rem publicam pertinebant, consulebantur. Siue bellum indicendum erat,

erat, siue pax facienda, siue leges ferendae videbantur, siue foedera ineunda, siue de sacris aliquid constitui, siue internum reipublicae statum aliquo modo immutari, siue pensiones publice fieri principes volebant, Ordinum ante omnia consensu erat opus^{m)}). Posteaquam temporis successus potestatem principum auxit, et de statuum prouincialium iuribus sensim aliquid decessitⁿ⁾), eo tandem res est perducta, ut iam nihil amplius fere, quam pensiones publicae et legumlationes quaedam, additis, si quae dentur, subditorum grauaminibus in comitiis coepirint tractari. Quaecunque vero tempora volueris spectare, facile est ad intelligendum, eas res, quas consultationum materiam diximus, cum salute reipublicae totius et singulorum ciuium adeo esse omnes coniunctas, ut singularis possit videri, qui ius suffragii in comitiis ferendi ad personalia iura velit referre, etiam aperte ratione munerum ac praediorum competat, vi quorum, qui ea tenent, reliquorum ciuium sustinent personam.^{o)}

a) sic compiri v. c. iu pacto fundamentali, de quo nostra aetate 20. 1770. inter ducem Wurtenburgiae eiusque ordines conuenit *corporis repraesentationi nomine* hos insigniri. v. ill. Pütterum *in den Beiträgen*, Abh. 10. §. 8 seq.

b) de Ludewig in Comm. ad aur. bull. T. II. p. 1012. et 1271. lit. g.

c) Scheid vom hohen und niedern Adel in Teutschland, §. 21. not. x. pag. 191. Moser von der teutschen Unterthanen Rechten und Pflichten, B. 2. c. 1.

d) Riccius vom Landäsignen Adel in Teutschland, cap. 18. §. 4. pag. 167.

e) ita sentium duumiri celebratissimi, qui in hoc doctrinae genere habitant: Struben *in den Nebenstunden*, Tom. II. Comm. 10. §. 8. et Tom. IV. Comm. 22. §. 25. et ill. Pütterus *in den Beiträgen*, Abh. 6. vom Ursprung der Landeshoheit und der Landstände.



- f) *Iargow in denen Anmerkungen über Struvs Discurs vom Ursprung, Unterscheid und Gerechtsamen der Landstände in Deutschland*, cap. i. no. 9.
- g) non est instituti nostri, ea omnia, quae breuiter modo attigimus, latius demonstrare; qui plura cupiunt, adeant *Schmidts Geschichte der Teutschchen*, II. 6. c. 14. et I. 7. c. 40. et 42.
- h) in Palatinatu ad Rhenum, nunc quidem, ast olim non erat sic v. Kremerus in via Friderici Vistoriss. item in ducatis Oldenburgico et Delmenhorstano nulli plane dantur status prouinciales; in ducatu Wurtembergico equites ordinem inter eos non constituant, cuius tamen rei alias esse causam, quam quae huic loco conneniat, satis constat.
- i) sic rem exponit ill. Pütter l. c. §. 37. seqq. et in der historischen Entwicklung der Staatsverfassung des teutschen Reichs, T. II. p. 170.
- k) virumque demonstravit Struben in Decade Observationum Obs. IIda, et in P. IVta horarum subsecuarum, Comm. 28. et Kopp, I. l. fest. 1. §. 10. et 15.
- l) Capitul. 2. Caroli M. de ao. 812. c. 6. de vassis dominicis, qui adhuc intra casam seruiunt, et tamen beneficia habere noscuntur. cfr. scriptores modo laudati.
- m) fusius haec docuit et exemplis illustravit Struben in Observ. IIda, et in horis subseciuis, P. II. Comm. 11.
- n) quod, quibus causis effectum sit, docet Struben in Comm. modo laudata, §. 26.
- o) Moserus quidem von der teutschen Reichsstände Landen, B. 2. c. 7. §. 1. a sententia nostra discedit, sed ex iis, quae paulo inferius §. 20. differit, satis appears, parum idoneas ipsi rationes, quas adduxerat, videri, cum ibi ipse, ut quis iure suffragii gaudere possit, fundum collectabilem requirat.

§. 6.

Quae sententia ex analogia firmatur,

Analogia etiam, et quidem duplice, ea, quam protuli, sententia confirmatur, cui adhuc immorari liceat. Est autem eius analogiae, quae a simili dicitur, ea vis, ut a communi imperii

germa-

germanici iure ad disciplinam singulorum territoriorum inferendo haud temere possit adhiberi.⁴⁾ Quae quidem ratio, vti in omni iure publico vsum praestare potest, sic in hac de comitiis prouincialibus tractatione, quae fere tota formam conuentuum imperii referunt, praecipue habet locum. Iam quis est rei domesticae tam ignarus, vt nesciat, ipsis imperii legibus esse sanctum⁵⁾, ne quis ad collegium principum comitumue admittatur, nisi comparatis terris imperio sine medio subiectis ad iura status consequenda idoneum sese reddiderit. Ea vero, quae contra Principem Taxium in comitiis fuerunt acta, nunc autem cessare videntur, satis declarant, quam acriter hi huic iuri insistant. Quod si igitur disciplinae imperii vniuersi est conueniens, vt iura status a possessione territorii pendeant, nullo modo errare mihi videor, si ad comitia singularum prouinciarum rationes inde ducentes ius loci et suffragii praediorum ingenuorum possessores nomine eorundem exercere contendamus. Sed cum videam, huic a similitudine communis imperii analogiae parum a multis in his causis tribui, altera huius specie, quae a contrario ducitur,⁶⁾ utar, quippe quam ad docendum vera esse, quae defendimus, multo etiam aptiorem putamus. Nam multa pugnantia inter se et contraria in republica existerent, si praesens causa non posset demonstrari. Quod enim e pluribus praediis communis possessoribus alteri tantum locus in continentibus publicis conceditur⁷⁾; quod nullus equitum, quamvis generis antiquitate aut dignitatis splendore maxime inter suos

C 2

con-



conspicuus ad eos accedere potest, nisi fundum ingenuum possideat ^{c)}, quod denique haud pauci reperiuntur, qui, cum quoad reliqua imperio sine medio subsint, ob bona, quae in singulis territoriis possident, horum consultationibus intersunt ^{f)}: quid haec omnia aliud, quam docent, nullo modo cum institutis Germaniae conciliari posse eorum opinionem; qui iura comitiorum a nobilium genere atque persona arcessenda esse existimant. Pertinet igitur ad iura realia ius comitiorum, et omnibus, qui honores, quibus cohaeret, gerunt, praedia equestria, quibus iunctum est, tenent, et ciuitates, qui huius iuris participes sunt, regunt, merito vindicatur.

- a) docuit hoc ill. Geislerus in prolus. de analogia iuris publici, §. 8.
- b) v. R. I. N. de ao. 1654. §. 197. et Capitol. Caroli VII. Art. 1. §. 5. cfr. ill. Füttner in der Entwickelung, caet. T. II. pag. 349. exceptio est, si statui cuidam imperii, qui terras, quibus ius comitii et suffragii cohaeret, amittit, id expressa conuentione conferueretur, v. I. I. Moser von der teutschen Reichsflände Landen, B. I. Kap. 9. §. 15.
- c) Primus, quantum scio, hanc analogiae iuris publici speciem constituit ill. Geislerus, cum eam in prolus. modo landata repetitionem iuris in re publica a simili vel contrario definiret. §. 2 et 3, contrarium tamen asservit Schnaubert, in diss. de analogia iuris publici imperii in fontibus iur. publ. Sacri R. I. non numeranda. Helmst. 1785.
- d) vid. Ordinationem prouincial. saxon. §. 35.
- e) hoc in Saxonia sive obtinet: in aliis autem Germaniae prouinciis expresse constitutum est, neminem nobilium, nisi glebosum, ad comitia accedere posse, v. Lünigs Collect. nou. P. II. pag. 153. de ducatu guelpherbytano; et P. I. pag. 390. de Austria.
- f) e. gr. hac ratione in comitiis Saxonie locum tenent Principes a Schwarzburg, Comites a Schoenberg, Stollberg etc.

§. 7.

§. 7.
et exemplis illustratur.

Hoc ipsum vero publica multarum Germaniae prouinciarum consuetudine agnatum est, quippe in quibus nullus fundorum equestrium possessor (nam in reliquis statibus res nihil habet dubitationis) cuiuscunque ille sit conditionis atque ordinis a consultationibus publicis arcetur. Ut pauca tantum exempli causa proferamus, in principatu Callenbergensi ¹⁾ constitutum legimus: *es sind alle diejenigen, so ein Rittergut besitzen, zu Ablegung der daran kommenden Wahlstimmen dem Herkommen gemäss fernher zuzulassen, sie mögen adelichen Standes seyn oder nicht. Nec Hildeshemienfis ²⁾ dissimilis est ratio, quippe in quo derienige, welcher einen in der Rittermatricul befindlichen Rittersitz besitzt, er sei von Geburt adelich, oder nicht, zu den Wahlen der Deputirten und Schatzräthe active zu admittiren — weil das Votum ein Annexum des Rittersitzes ist.* Sed inutile esset, plura eius generis cumulare, quae Germaniae prouincias ³⁾ animo perlustranti sponte se offerunt. Hoc tantum addo, si curia feudalis mortuo sine successoribus vasallo expectiuatum agnoscat, et dominus vel potius consilium eius ad status prouinciales rescribit, vt in comitiis eundem suffragii participem faciant, per istam curiae feudalis agnitionem et comparationem suffragii in comitiis expectiuatum ius in re obtinere simile ei, quod per inuestituram acquiritur. ⁴⁾



- a) v. das königl. und churbraunschweig. Reglement des Fürstenth. Calenberg, welchergestalt bey denen im ritterschaftl. Collegio vorkommenden Wahlaffibus zu verfahren, de ao. 1737.
- b) v. das hildesheimische Wahlreglement, de ao. 1716.
- c) de Hassia vid. Estor de comitiis et ordinibus Hassiae, §. 49. de Bohemia, a Beck, iur. publ. austr. Spec. II. p. m. 232.
- d) Puffendorf in Obs. iur. vniuers. T. I. Obs. 4.
- Hinc ius comitorum proprie omnibus competit fundorum
equestrium possessoribus.

Cum vero ex dictis appareat, ius standi in comitiis fundorum causa eorum possessoribus competere, adeoque ad realia iura esse referendum, consequens est, ad quoscumque horum praediorum possessores illud transire, siue a maioribus nobilibus orti sint, siue legitimis imaginibus non gaudeant, siue nobilitate penitus destituantur⁴⁾. Et id quidem eo magis asseri posse videtur iis in terris, in quibus ius feuda equestria et palatina acquirendi, quae non lege, sed moribus et antiqua possessione antiquitus indicabantur,⁵⁾ per consuetudinem, priuilegium, aut principum auctoritatem cum his, qui auita nobilitate non sunt conspicui, commune est factum. Ita Carolus IV. ao. 1347 ciuibus Spirensibus ius dedit, daß sie lehnbar seyn mögen, und Urtheil sprechen mögen mit den Rittern allenthalben,⁶⁾ nec non Ludouicus IV. vniuersis ciuibus ac oppidanis Friderici, Marchionis Misniae, et Carolus IV. omnibus Friderici, Balthasar,

faris,

satis, Ludouici et Wilhelmi, Thuringiae Landgrauiorum, Misniae, Orientalis, et in Landsberg Marchionum, Comitum in Orlamünde, et Dominiorum terrae Plisenenfis, ciuibus ac oppidanis per principatus, terras et ciuitates suas, quas tunc possidebant et in futurum possiderent, ius dedit, ut bona feudalia emere, et quoquis contractus titulo comparare possent.^{a)} Quod si tamen studio rei domesticae ducti quaeramus, quid potissimum causam dederit Friderico, Misniae Marchioni, iisque, qui eum in imperio excepere, ut priuilegium illud ciuibus impetrarent, aut si scire velimus, quare Imperatoris auctoritate in ea refuerit opus, ad vtrumque nulla alia est responsio, quam quae ex vniuerso illorum temporum statu probabili ratione peti posse videtur. Multae enim causae per omnem Germaniam iamdudum effecerant, vt infimi ordinis adeoque etiam ciuium conditio aliquanto honestior esse coepisset. Ac sublata quidem per maximam Germaniae partem seruitus, mutata militiae forma, et frequentia commerciorum, quibus ciuitates ampliores in dies opulentioresque sunt factae,^{c)} vltro rem eo perductura videbantur, vt ius fundos ingenuos comparandi cum oppidanis communicaretur, etiam si aut Germaniae principes, vt potestatem nobilium aliquo modo deprimenter,^{f)} aut ipsi Pontifices, vt expeditionum sacrarum facultatem augerent^{g)} in ea adiuvanda utilitatem suam versari animaduertere neglexissent. Ita igitur mature a veteris iuris rigore, quo ciues a feudis prohibebantur, discesserunt, et Imperatorum maxime indulgentia enituit,

enituīt, qui multos plebeij ordinis homines, cum militaris cinguli
li assumendi potestate libellis suis ipsis facerent, aut admittan-
terent eos ad praediōrum liberorum possessionem natalibus in-
genuis restituerunt.^{h)} Quod quidem cum initio paucis conti-
gisse probabile sit,ⁱ⁾ tanta ea res temporis successu incrementa-
cepit, ut seculo praeſertim decimo quarto non modo compluri-
bus iura nobilitatis Imperatorum literis tribuerentur, sed in in-
tegrorum ſaepenumero territoriorum ciues ius feuda acquiren-
di conſerretur. Haec igitur Principes Misniae etiam facile ad-
ducere poterant, ut ciuibus suis idem ab Imperatoribus, ad
quos multa illa aetate pertinebant, quae hodie ad principum iu-
ra haud dubie referuntur,^{k)} tribui vellent, praeſertim si forte,
quod BIENERVS, Vir Cel. probat,^{l)} in temporibus ipsis ali-
quid inefſet, quo ea res commendationem acciperet.

a) Puffendorf in Obleru. iur. vniu. T. III. Obs. 103.

b) ius feudal. fax. cap. 2. alle die nicht en sind von ritters art von vater und
von elder vater, die futh lerecht darben. consentit ius feudal. alemann.
cap. 1.

c) Lehmann in der ſpeierschen Chronick, B. VII. Kap. 41. plures vrbes tali
privilegio exornatas recenset clar. Ledderhoſe, de iure ingenuo. acquirendi
feuda, §. 5. in Zepernick's Analeftis iuris feudalis. T. II.

d) Literae Imperatorum exstant in Schoettgens diplomatischer Nachleſe zur
Geschichte von Obersachsen, Th. I. p. 68. in Lünigii Collectione noua, pag.
758. et alibi. Latius vero eas exposuit cel. Biener, de ciuibus, praeſertim
saxoniciis, feudorum equeſtrium capacibus.

e) haec omnia ſuſe explicat Schmidt in der Gesch. der Deutschen, B. V. K. 12.
und B. VI. K. 15.

f) Bienerus, l. c. §. 11.

g) v.

- g) v. Altesferra, de feudis Gallorum, cap. 10. vbi dicit: *pontifices suasisse militibus, ut feuda ac ditiones in plebeios alienarent, ut faciliter emtorem inuenirent.*
- h) videatur de Leipziger, in diff. quae inscribitur: *Origines nobilitatis diplomaticae*, §. 13. vbi ea, quae diximus, monumentorum antiquorum fide firmantur, et Biener, diff. laud. §. 5.
- i) Lehmannus quidem in *der speirschen Chronick*, I. V. cap. 112. ex Annalibus Dominicanorum Colmariensium vt rurum quid memorat, anno 1281 multos ignobiles milites factos esse in Argentina.
- k) plura exempla suppeditat ill. Fürtterus in *der historischen Entwicklung caet.* Th. III. B. 4. Abschn. 4.
- l) I. I. §. 13.

§. 9.

nisi lege vel consuetudine aliud sit introductum.

Quanquam autem ius comitiorum ad iura, quae vocantur realia, proprie pertineat, tamen, monente REICHARDO^{a)}, per obliquum personas afficit, ideoque singularum prouinciarum ratio debet spectari. Hinc in Saxonia electoral i moribus et variis legibus^{b)} constitutum, atque in comitiis anno huius seculi XXVIII habitis publica sanctione^{c)} firmatum est, ne possit inter equites locum tenere, et in comitiis prouinciae suffragium ferre, qui nequeat puram et continuam nobilitatis suae antiquitatem ita probare, vt ab vtroque latere^{d)} in quarto gradu iusto maiorum nobilium numero gaudeat.^{e)} Quae tamen regula locum non habet, si nobilis fundi possessor serenissimo Principi a consiliis sanctoribus sit, vel tribuni militum dignitatem in exercitu promeruerit, ac nobilitatis gentilitiae codicillos possit proferre. Et hoc iure vtimur.

D

^{a)} in



- a) in comment. de statibus provincialibus. §. 7.
- b) Verordnung vom 3. 1530, desgl. vom 15ten März 1680, quae citat Moser, von der deutschen Reichsstände Landen, II. B. 5tes Kap. §. 20. Decretum ad 1700. im Cod. Aug. T. I. pag. 367.
- c) Land- und Amtsgerichtsordnung vom 3. 1728. in Suppl. Cod. Aug. T. I. pag. 31. sequi.
- d) exigunt videlicet mores Germaniae matrimonium par et aequale.
- e) vocatur die *Anenprobe*. Scilicet *An* obseruante Wachtero in Glossario germanico notat originem et principium rei, eoque senu *Anherr* et *Anfrau* sunt quasi principes originis; hinc *Aene*, auum, *Aelterane*, proavum designat. Ester de probat nobilit. auitae, et imprimitis: *Nachricht von einigen Häusern des Geschlechtes der von Schieffen oder Schlieben. 1784.* Media scilicet aetas in Germania non agnouit, nisi natum ex parentibus utriusque lineaee primi et secundi gradus libertate non data, sed ingenita, fruentibus. Inde *höchstfreyen* vocantur, quod natales ingenuos ad aios usque in vtraque linea referant, nulla seruitutis macula notatos. Ita spec. sueicum, cap. 49. *Welcher Mann an seine vier Ahnen, das ist, von seinen alten zwey Müttern und zwey Aelternvättern, und von Vater und Mutter unbescholtan ist in seinen Rechten, den kann niemand beschelten an seiner Geburt, er habe denn sein Recht verwirkt.* Quod tantum non iisdem verbis haustum videtur ex I. P. S. I. I. art. 57. vbi legitur: *welcher Mann an seinen vier Ahnen, das ist von zwey Aelternvättern und zwey Aeltermüttern, und von Vater und Mutter, die unbescholtan seyn, unbescholtan an seinem Recht ist, den mag niemand beschelten an seiner Geburt, er habe denn sein Recht verloren und verwirkt.* Dicitur autem apud Germanos nobilitas in primo acquirente nasci, in filiis pubescere, in nepotibus adolescere, in pronepotibus atque postris maturam et perfectam plane consequi aetatem.

E p i l o g u s.

Multa adhuc reliqua sunt, quae de iure standi in comitiis provincialibus possent disputari, si constitutum nobis esset, totum hoc argumentum persequi. Sed cum in praediorum possessoriis maxime hic libellus versari debuerit, ea, quae ad praelatorum et ciuitatum iura in comitiis spectant, maturiori aetati seruamus.



ORNATISSIMO AVCTORI

P R A E S E S

Ii, qui altiora meditantur, ad discendum et cognoscendum inuitamentis, quae in ipsis rebus insunt, debent moueri, quod si sit, et assiduitati docilitas ingenii respondet, non potest non euenire, ut optatos in litterarum studiis faciant progressus. Hocce consilio graecis et latinis literis bene instructus academiam adiisti, et omnem curam, meditationem et diligentiam in iurisprudentiae solidiori cognitione, quae in rationes inquirit, ideoque non iuris solum, sed antiquitatis etiam et

omnium ingenuarum artium studio absoluitur, consumisti, quo factum,
ut ingenio acri et iudicio subtili praeditus, plurimaru[m] rerum non vul-
garem TIBI comparaueris scientiam, quam si applicueris ad usum
ciuilem optima quaeque et praeclarissima de TE sperari atque exspe-
ctari possunt. Libellus sane TVVS, quem magna cum voluptate per-
legi, argumenti grauitate, rerum utilitate, et verborum se commendat
elegantia. Itaque ea, quam ingressus es, perge via, utere literarum
bonis, et rempublicam in partibus, quas ipsa olim TIBI concretet,
feliciter administra. Me autem et optimorum TVORVM parentum
quibus de filio tantae spei gratulor, benevolentiae, et TVAE amicitiae
de meliori commendo nota. Scrib. Viteberg. VIII. Calend. Octobr.
1587. S. A. C.

Wittenberg, Diss., 1786-88


ULB Halle
004 335 899

3



f

sl,



Farbkarte #13



DE
I V R E S T A N D I
IN COMITIIS PROVINCIALIBVS

COMMENTATIO

QVAM

ILLVSTRIS IVRISCONSULTORVM ORDINIS
AVCTORITATE

PRAE SIDE

IOANNE CHRISTIANO FRANCKE

IVRIS VTRIVSQUE DOCTORE, IUDICII PROVINCIALIS IN
MARCHIONATV LVSATIAE INFERIORIS ET ORDINIS
IVRECONSULTORVM IN ACADEMIA VITEBER-
GENSI ASSESSORE

A. D. I. OCTOBRIS A. N. CCCCCCLXXXVIII

H. L. Q. C.

D E F E N D E T

A V C T O R

CAROLVS CHRISTIANVS KOHLSCHÜTTER

D R E S D E N S I S.

VITEBERGAE

LITERIS CAROLI CHRIST. DÜRRIL.